37. Manaſſe aſſumptus a.3745. mortuus a.3771.
38. Onias II. aſſumptus a.3771. mortuus a.3786.
39. Simon II. aſſumptus a.3785. mortuus a.3805.
40. Onias III. aſſumptus a.3805. exautoratus a.3829. mortuus a.3834.
41. Jeſus ſive Jaſon a.3830. exautoratus a.3832.
42. Onias IV. ſive Menelaus a.3832. interemptus a.3842.
43. Lyſimachus Menelai Vicarius occiſus a.3834.
44. Alcimus ſeu Jacim, vel Joachim aſſumptus a.3842. mortuus a.3844.
45. Onias V. in Ægypto; Templum ibi ædificavit a.3854.
46. Judas Macchabæus Altare, & ſacrificia reſtituit a.3840.
47. Jonathas Aſmonæus, aſſumptus a.3852.
48. Simon a.3860. mortuus a.3860.
49. Joannes Hircanus mortuus a.3898.
50. Ariſtobulus mortuus a.3899.
51. Alexander Jannæus regnat annis 27. moritur a.3926.
52. Hircanus 32. ann. Summmus Sacerdos. Mortuus a.3974. Antigonus ejus nepos Pontificatum occupavit a.3964. Occiſus a.3967.
53. Ananelus Babylonius aſſumptus a.3968.
54. Ariſtobulus Aſmonæorum poſtremus mortuus a.3970. unius anni Pontifex. Iterum Ananelus a.3971.
55. Jeſus Phabi filius exautoratus a.3981.
56. Simon Boethi aſſumptus a.3981. exauctoratus a.3999.
57. Matthias filius Theophili aſſumptus a.3999. cujus Sacerdotium Ellem unicâ die intercepit.
58. Joazar filius Simonis filii Boethi aſſumptus a.4003.
59. Eleazar frater Joazar 4002. ſeu 4008.
60. Jeſus filius Siah aſſumptus circa a.4007. ſeu 4008. Joazar ſecundò a.4010.
61. Ananus filius Seth a.4016. aduſque 4027. annis 11. Pontifex.
62. Iſmael filius Phabi aſſumptus a.4027.
63. Eleazarus Anani filius aſſumptus a.4027.
64. Simon filius Camithi a.4028.
65. Joſeph cognomento Caiphas a.4029.
66. Jonathas filius Anani aſſumptus a.4038.
67. Theophilus filius Jonathæ aſſumptus a.4040. exautoratus a.4044.
68. Simon Cantharus filius Simonis I. aſſumptus a.4044.
69. Mathias filius Anani a.4045.
70. Ælionæus a.4047.
Simon Cantharus ſecundò a.4048. exautoratus eodem anno.
71. Joſephus filius Canei a.4048.
72. Ananias filius Nebedæi a.4050.
73. Iſmael filius Phabei a.4066.
74. Joſephus cognomento Chabei a.4066.
75. Ananus filius Anani a.4066.
76. Jeſus filius Amnæi a.4067.
77. Jeſus filius Gamalielis a.4067.
78. Mathias filius Theophili a.4068.
79. Phannias filius Samuelis a.4073.

Summi Sacerdotii munus egiſſe Moyſem in deſerto, cum ſcilicet Aaronem ejuſque filios initiavit, ex Levit.8. 2. ſatis conſtat. Sed ejus dignitas cum morte abſoluta ad poſteros non tranſivit.

Aaroni gemini filii nati ſunt, ex quibus geminæ familiæ ſuo ſingulæ tempore ſacris præfuerunt. Eleazar natu major paternam dignitatem obtinuit, quam ad poſteros tranſmiſit (*m*): ſub Heli è genere Ithamari Sacerdotium in eam familiam tranſlatum eſt (*n*).

Tempus Sacerdotii veterum Pontificum exactè definiri non poteſt; quare ſi 23. (*o*), ſive 25. [*p*] Sacerdotii Phinees, qui poſt Eleazarum Sacris præfuit, à nonnullis tribuantur, id arbitrio tantummodò factum eſt. Chronicon Judæorum nonniſi duos, Eleazarum nempè & Phinees, inter Aaronem & Heli conſtituit, cui proinde intercapedini replendę plura vitæ Phinees ſæcula RR. comminiſcuntur. Sunt etiam qui non hominem illum fuiſſe ſuſpicentur, ſed Angelum mortalibus artubus indutum, qui pro libito in mundum veniret abiretque. Illum eundem Phinees dicunt ad Summum Sacerdotem Heli veniſſe (*q*) ultionis à Deo in ipſum ejuſque familiam nuncium triſtiſſimum: Hunc iterum ſub Salomone (*r*) paruiſſe, aſſumpto Phinees filii Eleazari nomine; hunc tandem venturum expectant poſtremâ ſeculorum die, priori quidem nomine retento, ſed perſonam Eliæ Prophetæ ementitum. Apage Rabbinicas fabellas. Opinati ſunt alii, Phinees & Heli gemina eſſe unius ejuſdemque Pontificis nomina. Sunt qui tradiderint, Phineem ſuper votum ſuum à Jephte conſultum (*s*), nullâ diſpenſatione rigidum literę ſenſum temperare voluiſſe; quare à Sacerdotio amotus vacuam dignitatem Heli permiſit. Sed hiſce conjecturis nullum eſt in Scriptura fundamentum. Illud conſtat, Eleazarum eodem fermè tempore ac Joſue obiiſſe (*t*); poſt quem ſuprema dignitas ad Phinees

m *Num.* 20. 28.29.
n *Ita Joſeph. Antiq. l.*5. *c.* 15. *& poſt eum Chronologi & Interpp. paſſim.*
o *Theſaur. tempor.*
p *Suid. Batricid.*
q 1. *Reg.*1.27. *Author Tradit. Hebr. in Libb. Reg.*
r 1. *Par.*9.20.
s Vide *Selden. lib. de Succeſſ. in Pontif. & Comment. noſt. in Judic.*
t *Joſue* 24. *ult.*

ejus filium pervenerit, tunc temporis Pontificem, cum bellum undecim Tribuum in Benjamin caleret (*u*). Poſt illud tempus altum de ipſo ſilentium in Scriptura.

Patris honor in filium *Abiſua* vel Abiſue, Joſepho *Abiezer* (*x*), tranſivit. Hunc Abiſue Chronicon Alexandrinum componit cum Judice *Aod*, ſicut & Bocci cum Samgar, & *Uzi* cum Thola. Poſt Uzi abrogatum à familia Eleazari Sacerdotium, Heli è familia Ithamaris demandatum eſſe ex Joſepho [*y*] intelligimus. Ex eodem Joſepho Antiq. lib.8. cap.1. diſcimus, à Phinees, quo Sacerdotali dignitate potiente idem honor è familia Eleazari ad Ithamari tranſivit, ſeriem numerari poſterorum Phinees, qui à Sacerdotio amoti ſunt; ſunt autem *Vocar* ſivè *Boccias* filius Joſephi Summi Sacerdotis, *Jonathan* ſive Joathan filius Vocar, *Mareoth* ſivè Marajoth filius Jonathan, *Aſoph* ſivè Arophæus filius Mareoth, & *Achitob* filius Aſoph. Porrò ex Achitob natus eſt Sadoc, qui Davide regnante munus ſuum inivit. Itaque à Phinees uſque ad Sadoc nemo è genere Eleazari Summus Sacerdos occurrit, qui ſupremæ dignitatis munus exercuerit.

Tabulæ genealogicæ, de quibus 1. Par. 6. 3. non omnibus numeris abſolutiſſimæ videntur, cum in aliis Scripturæ Libris (*z*) Summi Sacerdotes quidam appareant, quorum nomina in eo catalogo deſiderantur. Diſcrepat etiam chronologia illa ab altera apud Joſephum deductâ.

Utramque ſupremam dignitatem, civilem & ſacram, Heli 40. annorum ſpatio habuit (*a*), cujus vergentibus ad exitum annis, Ophni & Phinees filii potiſſimis Sacerdotii muneribus functi ſunt. Verùm Sacrâ dignitate turpiſſimè abutentes, ipſi quidem condignâ nece pœnas ſolverunt acerbiſſimas; Arca in poteſtatem hoſtium venit, ipſi cecidere, & Heli eorum parens è ſella prolapſus, cervice confractâ diſperiit (*b*). Quis potiſſimùm vacuam ejus obitu cathedram aſcenderit, variis varia ſentientibus non ſatis conſtat. Joſephus [*c*], quem alii plures ſequuntur, maluit Achitob tertium ejus filium; alii *Achiam* ſub exordio Regni Saulis ſat notum (*d*); qui tamen potuit optimè Achitob patri ſuo in Summo Sacerdotio ſucceſſiſſe.

Achię ſubſtitutus eſt Achimelech alter filius Achitob, quo perempto unà cum aliis Sacerdotibus fortè præſentibus in Nobe Saulis juſſu (*e*), Abjathar ejus filius ſęvientem gladium clam evitans ad Davidem in deſertum dilapſus eſt. Hic Abjathar interdum etiam Achimelech & Abimelech (*f*) appellatur, quemadmodum parenti ipſius nomen Abiathar manet Marc.2. 20.

Cæſis igitur juſſu Saulis omnibus Sacerdotibus fortè in Nobe verſantibus, ſivè odio Regis in Achimelech è familia Ithamari, ſivè quòd nemo eſſet in ditione Saulis ex eadem familia, cui ſuprema dignitas demandaretur, Sacerdotium ad Sadoc & familiam Eleazari tranſivit (*g*). Hebræorum nonnulli inter Abjathar & Sadoc *Jojadam*, conſtituunt de quo 1. Par.12.27.& 27.5. ſed hunc credimus potiùs Principem Levitarum & Tribus ſuæ, quam olim dignitatem Eleazarus ſub Aarone obtinebat (*h*).

Veterum plurimi (*i*) Samuelem in cenſum Summorum Sacerdotum retulerunt; ſed pius ille vir Propheta & Judex Iſraelis à genere Aaronis alienus non niſi Levitam agebat (*k*).

Cum David duobus Sacerdotibus ad duas Sacerdotales familias ſpectantibus, Abjathar & Sadoc, beneficiis devinctus æquè teneretur, inauditum in Iſraelem exemplum invexit. Quemadmodum enim in ſe unum duo Regna Juda, & Iſrael ita conjunxerat, ut ſolus in univerſa gente regnaret; ita pariter voluit, ut Sacerdotio in utraque familia Eleazari & Ithamari retento, uterque ſimul ſacra curarent (*l*). Ambo illi Pontifices ſacrum munus eodem tempore exercebant, Sadoc quidem in Ara Gabaon (*m*), Abjathar in Tabernaculo Jeroſolymæ à Davide excitato.

Sed vergentibus Regni Davidis annis, cum Abjathar deſtituto Salomone, quem Deus ad Regnum deſtinaverat, partes Adoniæ ſequutus fuiſſet, eumque ſacrâ unctione initiaſſet in Regem (*n*), è favore Regis excidens, Sacerdotio amotus eſt; ſoluſque deinceps Sadoc ſub Salomone Sacris præfuit (*o*). In hunc modum ſua veritas oraculis geminis conſtitit, quorum alterum Heli futurum prænunciavit, ut ejus familia honore Summi Sacerdotii privaretur (*p*); alterum perpetuum ſpondebat Phinees, viro zelo Legis & obſequio in Deum præſtantiſſimo, Sacerdotium (*q*).

Poſt Sadoc ad uſque captivitatem Babylonicam perpetua ſeries Summorum Pontificum ex edem fonte profluxit; quem tamen ordinem inter ſe tenuerint, quo ſinguli tempore vixerint, ex incertis, quæ ſuperſunt, monumentis in incerto vagatur. Factum inde, ut nos varios illorum catalogos deduceremus. Ex illis unus in Paralipomenis deductus eſt, alter in Eſdra, non ſatis inter ſe conſtantes; incertum an error in nominibus irrepſerit, an generationes altera alteram proximè ſequatur; non enim detruncatæ & mancæ genealogiæ exempla in Scripturis deſunt. Tertium tandem catalogum Joſephus proſecutus eſt (*r*), quem nos vitioſum ſuſpicamur, cum ipſe idem alio in loco diſertè annotaverit 83. Summos Sacerdotes ab Aarone omnium Principe aduſque Phanniam, à Zelotis in poſtrema Jeroſolymæ obſidione aſſumptum (*s*). Tredecim enumerat ab Aarone ad uſque Salomonem, ac deinde 18. à Salomone uſque ad everſionem Templi per Nabuchodonoſorem; 15. poſt Joſue filium Joſedech, primum poſt ſolutam captivitatem Pontificem uſque ad Antiochum Epiphanem. Spatium inter Epiphanem & Herodem Magnum 9. habuit; & 28. inter Herodem & extremum Urbis excidium. Hæc Joſephus, cum interim in catalogo eorumdem Sacerdotum ab Aarone undecimum Sadoc conſtituit, & 15. ab illo uſque ad Joſedechum, eodem tamen Joſedecho & Sadoc excluſis. Namque Joſedech ſacræ dignitatis functio-

u *Judic.*20.28.
x *Antiq. l.*5. *c.ult.*
y *Antiq. lib.* 5. *cap. ult. ad finem.*
z *Urias* 4. *Reg.* 16.16.
a 1. *Reg.*4.8.
b *Ibid. verſ.* 18.
c *Antiq. l.*6. *c.*7. *Niceph. Georg. Monac. & alii.*
d 1. *Reg.*14. 18.
e 1. *Reg.*22. 16.17. *&c.*
f 2. *Reg.*8.17. *&* 1. *Par.*18. 16.
g Vide 1. *Par.* 6.53.
h *Num.*3.32.
i *Aug. Ambroſ. Chryſoſ. Greg. Magn. Sulpic. Sev. Bern. & alii.*
k Vide *noſt. Comment. in* 1. *Reg.*25.
l 2. *Reg.*8.17. *&* 1. *Par.*18. 16. *Antiq.l.*7. *c.*6.
m 1. *Par.*16. 39.
n 3. *Reg.*1.7. 19.
o 3. *Reg.*2.26. 27.
p 1. *Reg.*2.30. 35.36.
q *Num.*21.13.
r *Antiq. l.*5. *c.*15.
s *Antiq. lib.* 20. *cap.*8.

nes Jeroſolymæ nunquam obivit, cum ante mortem patris in captivitatem tranſlatus, ibi vitam abſolverit.

Chronicon Hebræorum inſcriptum *Seder-olam-zuta* ſingulos Summos Sacerdotes ſub ſingulis Principibus in ordinem digeſſit. Locupletior eſt Catalogus, quàm Paralipomenon & Eſdræ, ſatiſque cum altero Joſephi componi poteſt; ſede tantùm quorundam nominum in Joſepho tranſmutatâ, atque nonnullis ex illis nominibus in alia tranſlatis. Qui apud Joſephum eſt *Joram*, in Seder-olam eſt *Jojarib*; ſicut & *Iſſus* Joſephi, *Joabaz* in Chronico appellatur; quare in Hiſtorico ſimplex tantùm duorum nominum tranſpoſitio notabitur. *Axioram* Joſephi nunquam congruere videtur neque cum *Joſaphat*, neque cum *Jojada* Chronici; ipſiſſimum ſuſpicor cum *Azaria* Paralipomenon, vel cum Joſaphat viro forti binomine. *Sudeas* Joſephi reſpondet Jojadę Chronici, quamquam hiſtoricus tranſpoſitione ordinem prętervertit. Poſt *Phideam* adusque Joſedechum omnia plana ſunt apud Joſephum, ſolo ſubſtituto nomine *Sedechiæ*, qui deeſſe in Textu videtur. *Julus* idem eſt ac *Joel*; *Odea* idem ac *Hoſaiah*; *Saldum* idem ac *Sellum*; *Elcias* idem ac *Helkiahu*; *Sareas* ac *Azarias*.

Quantum ad *Jojada*, quem virum nos cum *Sudæa* Joſephi confundendum cenſemus: quamquam ejus nomen in Libris Regum & Paralipomenon Sacerdotis titulo adſcribitur (*t*); deeſt tamen in catalogo Summorum Sacerdotum in Paralipomenis & in Eſdra; nec in Scriptura unquam nomine Summi Sacerdotis appellatus eſt. Alioqui tamen ex univerſa ejus hiſtoria ſatis inſinuatur, omnem illum Pontificis authoritatem & dignitatem obtinuiſſe. Summum Sacerdotem agnoſcunt Joſephus (*u*) & vulgò omnes Interpretes, quorum opinioni nihil uſpiam repugnans occurrit. Licèt enim Hiſtoricus Judæus *Joadon* nominet, quod multum à *Sudęa* diſcrepat, ſat tamen notum, quantum ſibi licere arbitrentur Græci Scriptores, cum de nominibus barbaris res eſt.

Quod ſtupere liceat illud eſt, nimirum Zachariam filium Jojadæ inter Templum & Altare occiſum (*x*) apud Summos Sacerdotes nuſpiam apparere. Quin ne nomen quidem legitur ſive in Joſepho, ſivè in Chronico Judæorum, ſive in Catalogo Paralipomenon. Sed ex eorum albo expungendum non eſſe, ſtatuendumque ſicut filium ità & ſucceſſorem Jojadæ, nullus dubito; nec alter facilè eſt ab Azaria filio Johanan, de quo in Paralipomenis.

Magno etiam diſcrimine inter ſe abſunt duo Catalogi Paralipomenon, & Eſdræ, ſivè numerus, ſivè ordo Pontificum ſpectetur. Apud Eſdram medius inter *Marajoth* & *Amariam* *Azarias* conſtituitur, de quo tamen nihil in Paralipomenis. Octo priores & ſex poſteriores utrimque ſatis conſtant. Eſdras alterum ab Amaria conſtituit Achitob II. patrem Sadoc II. ſeptem aliis Pontificibus ſilentio preſſis. Proſequitur indè ſeriem ſuam ad exitum uſque per *Sellum*, *Helciam* (in Paralipomenis Hil) *Azariam*, *Saraiam*, *Eſdram* deducens. Poſterior iſte, quanquam alioqui non deſint, qui eum inter Pontifices reponant, ſacrum tamen munus exercuiſſe nuſpiam legitur. Locus eſt etiam ambigendi, num Summum Sacerdotem Saraiam à Nabuchodonoſore occiſum parentem habuerit; ſunt enim qui avum potiùs illum ſuſpicentur, cum Eſdras diù etiam poſt cum Nehemia vixerit. En genealogia Eſdrę juxta Authorem Libri quarti Eſdræ: Aaron, Eleazar, Phinees, Abiſai, Borith, Ozia, Arna, Marimoth, Aziel, Ameria, Heli, Phinees, Achia, Achitob, Sadoc, Sadania, Helcia, Azarei, Sarei, Eſdras. Sed hujus Authoris fides ſubleſta eſt.

Authores Hebræi neque cum Joſepho neque cum Scriptura in numero Summorum Sacerdotum conveniunt, nonnulli enim ex RR. 80. Summos Sacerdotes enumerant, in ſecundo Templo munus ſacrum obeuntes (*y*); malunt alii 81. alii 82. & alii deinceps uſque ad 85. quin nec defuiſſe teſtatur Gemarra Babylonica viros doctos, qui ultra 300. Pontifices recenſeant inter ſolutam captivitatem & everſionem Templi per Titum. Chronicon Judæorum 18. conſtituit Sacerdotes, qui Templo à Salomone conſtructo præfuerint à Sadoc uſque ad Joſue filium Joſedech, qua in re ſatis cum Joſepho convenit. Paralipomena 12. tantùm agnoſcunt [*z*], & 8. Talmudiſtæ; 12. R. Salomon (*a*), juxta Codices impreſſos; ſed corruptum eſſe eo loci textum R. Azarias contendit (*b*), addens utrumque Talmud, & veteres Hebræorum Libros omnes cum Joſepho conſentientes 18. recenſere. Nomen *Sadoc* ſub Salomone ſatis notum eſt; nec magis ignotum nomen *Achimaas* ejus filii natu majoris (*c*). *Azarias* filius Achimaas legitur tantùm 1. Par.6. 9. niſi fortè confundendus cenſeatur cum *Amaria* Scripturæ (*d*) & Amaſia Joſephi (*e*). Sub Joſaphat Johanan legitur in Paralipomenis loco laudato, quem confundendum nonnulli arbitrantur cum *Jojada* viro ſub Joas celeberrimo. Horum opinio nihil habet Chronologiæ repugnans.

Azarias filius Johanan, inſigni quodam honoris elogio in Scriptura celebratur; ſed locus ille mirè torquet Interpretes: *Ipſe eſt qui Sacerdotio functus eſt in domo, quam ędificavit Salomon in Jeruſalem* [*]. Dubium eſt an verba illa ad Johanan, an ad Azariam referantur; pronius tamen eſt ut ad poſtremum hunc ſpectent. Malunt autem nonnulli his verbis deſignari Azariam ſub Salomone vixiſſe, quod tamen vix ac ne vix quidem probarent (*f*).

* Autumant alii hunc Pontificem ſub Ozia Rege Juda vixiſſe, eidemque Principi in faciem reſtitiſſe, cum prophanis manibus thus in Templo offerre præſumeret (*g*). Hæc poſterior opinio communior eſt, & rationi congruentior, ſua tamen habet incommoda, cum Ozias Rex Juda, cui ſtrenuè reſtitiſſe Azarias dicitur, temerarium auſum aggreſſus eſt A.3221., & Zacharias filius Jojada, quem cum Azaria confundendum, quemadmodum & Jojada cum

t 4. *Reg.*12.2. & 2. *Par.*24. 2.
u *Antiq. lib.* 9. *cap.*7.
x 2. *Par.*24. 21.
y *Talmud.* 8. *Jeroſ. tract. Joma cap. in Gemar.*
z 1. *Par.*6.
a Vide *Salom. Jarchi in* 1. *Par.*6. *Gemar. in Talmud, tract. Joma c.* 1. *Vaſikra Raba & in Siph. ſect. Phineaz.*
b *R. Azarias Meor Enaim c.*20.
c 2. *Reg.*15. 27 36. & 17. 17. &c. 1. *Par.* 6.8.
d 2. *Par.*10. 10.11.
e *Antiquit. l.* 9. *cap.*1.
* 1. *Par.*6.10.
f Vide *ſi placet Selden de ſucceſſ. in Pontif. Hebr. l.*1. *c.*5.
g 2. *Par.*27. 17.18.

Johanan arbitramur, neci traditus fuerit A.3164.

Hæc tamen omnia ſalva erunt, ſi ſtatuatur Scripturam voluiſſe quidem elogium Zacharię, alio nomine Azarię, proſequi, perhibendo geſſiſſe illum ſacrum munus in Templo Salomonico; Azariam verò Oziæ coævum eundem eſſe ac Amariam in eodem catalogo. Hæc planè ſententia noſtrę Chronologię meliùs cohæret. Achitob II. & Sadoc II. conſtitui poſſunt ſub Rege Joathan ab anno 3221. uſque ad 3264. ſivè 3265. qui nempe annus Sacerdotio Uriæ ſub Achaz conſignatur (*h*). Hujus nomen, quod antè *Sellum* conſtituimus, in noſtro catalogo è Paralipomenis & Eſdra deſideratur. Sub Ezechia mentio fit Helciæ (*i*) Summi Sacerdotis, cujus filius Eliacim ſub Manaſſe (*k*) Sacris præfuit. Sacerdotio fungebatur Jeroſolymæ, cum Holofernes obſidionem Bethuliæ aggreſſus eſt (*l*). Nos unà cum aliis nonnullis doctiſſimis Interpretibus hunc ipſum Eliacim credimus (*m*), de quo Iſai.22. 20. *Vocabo ſervum meum Eliacim filium Helciæ, & induam illum tunicâ & cingulo tuo; confortabo eum, & poteſtatem tuam dabo in manu ejus, & erit quaſi pater habitantibus Jeruſalem & domui Juda; dabo clavem domus David ſuper humerum ejus, & erit in ſolium gloriæ domui patris ejus.* His phraſibus deſignari ſupremam Sacerdotii dignitatem vix dubitaverim (*n*). Quibus ſemel conſtitutis, nomen Eliacim ſivè Joachim adſcribendum eſt poſt Helciam, ſive Eliacim ſub Ezechia ſummum Sacerdotem; ſtatuendumque Eliacim illum, Manaſſi & Judith ſupparem, eundem eſſe ac Helciam, qui ad Joſiam (*o*) uſque & deinceps [*p*] vitam prorogavit. Neque ſupra fidem res eſt, nam ambos illos Reges non niſi biennale Amonis Regnum diſterminat. Nomina *Hil* ſive *Helcias* ſatis cum Eliacim quadrant; poſitumque eſt in moribus apud Hebræos, ut nomina, ea maximè in quibus nomen Dei adjungitur, variè tranſmutent.

Nonnihil ea opinio carpitur, quòd genealogiis è Paralipomenis, & Baruch deductis repugnet, in quibus Helcias filius Sellum, & pater *Azariæ*, alio nomine Joachim, apud Baruch conſtanter appellatur (*); minùs etiam cohærere videtur cum teſtimonio Regum, & Paralipomenon, quo Helcias filius Azariæ ſtatuitur. (*q*)

His omnibus reſpondemus: 1. Fieri optimè potuiſſe, ut quemadmodum ſupra indiſcriminatim uſurpari nomina patris pro filio, & viciſſim, in Abjathar, Abimelech, & Achimelech animadvertimus; ita etiam duo hæc nomina Eliacim & Helcias inter ſe confunderentur. 2. Nomina patris, & filii in præſentia, quemadmodum & alibi ſæpè, pro avo & nepote poni. Quibus ſemel conſtitutis, ſtatim conſequitur Sellum patrem eſſe potuiſſe Azarię, alio nomine Helcię, qui ſub Ezechia paruit. Azariam verò hunc ſivè Helciam filium habuiſſe alterum Helciam, alio nomine Eliacim ſivè Joachim Pontificem ſub Manaſſe primùm, deinde ſub Joſia; ex eo verò natum eſſe Azariam ſivè Neriam patrem Saraiæ, qui Sacerdotum numerum ante captivitatem clauſit.

Ad catalogos Joſephi, & Chronici Judęorum quod ſpectat, neque defendendos illos, neque conciliandos cum vetuſtis monumentis genealogiæ Judæorum ſuſcipimus. Suppetebant quidem Joſepho probatiſſimæ genealogicæ tabulæ, quæ ætate noſtrâ interciderunt; ſed neutiquam juſtum cenſemus, Paralipomenon, & Librorum Regum fidem eâ in re deferere, ut eum Hiſtoricum ducem ſequamur, cujus maximè Textum pluribus in locis corruptum non immeritò ſuſpicamur. Ultrò tandem fatendum eſt, fieri vix ac ne vix quidem poſſe, ut in ea, qua offundimur, tam veterum ac intricatiſſimarum rerum caligine ſatis certi aliquid diſpiciatur.

Joſedech filius Saraiæ Summi Sacerdotis in exilio, & facilè ante regnum Cyri, diem clauſit extremum; Jeſus tamen, ſive Joſue ejus filius conceſsâ à Cyro Hebræis libertate opportunè uſus, in Judęam regreſſus plurium annorum Sacerdotio functus eſt. Ejus nomen frequenter in Eſdra & Nehemia recurrit; legitur etiam in Aggæo [*r*], utì, & Zacharia (*s*). Sacris pręfuerunt poſt illum Joachim, Eliaſib, Jojada, Jonathan, Jeddoa, quorum ſucceſſionem 2. Eſd. 12. 11. legas.

Sunt qui hiſtoriam Judith poſt captivitatem Babylonicam revocantes (*t*) autument, Eliacim ſivè Joachim, qui in obſidione Bethuliæ per Holofernem ſacris præfuiſſe legitur, ipſum eſſe Joachim filium Joſue, cui fratrem alii ſtatuunt Eliaſib Joachimi ſucceſſorem (*u*). Porro Eliaſib alio nomine interdum appellatur Joaſib, & Caſib, cujus filius Johanan (*x*), an idem ſit ac Jojada ejus ſucceſſor, ambigo. Jonatham Pontifex poſt Jojada, appellatur Joannes apud Joſephum [*y*], Euſebium (*z*) & S. Hieronymum (*a*); quorum primus fratrem illi tribuit Jeſum, de quo narrat, fidem ſuam de ſummo Sacerdotio illi tradendo Vagoſum Præfectum Judęæ ab Artaxerxe Mnemone datum obligaſſe; quibus audacior factus Jeſus, fratrem ſuum in Templo conveniſſe, injuriiſque ultrò provocatum invitum coegiſſe, ut ſe armis, ac nece ejuſdem Jeſu defenderet. Joanni ſivè Jonathan ſucceſſor datus eſt Jeddoa ſivè Jaddus, cujus nomen, honore ab Alexandro Magno Jeroſolymam venienti accepto, ſat in hiſtoria celebratur. Hanc hiſtoriam fusè deſcribit Joſephus (*b*); è quo deinceps ſeriem Summorum Sacerdotum derivare cogimur, Scripturâ in Jeddoa deſinente. Rara tamen quædam in Libris Macchabæorum de Summis Pontificibus ejus ætatis occurrunt. Hiſtoriam Alexandri Magni obſequium Summo Sacerdoti pręſtantis, non ad Jaddum, quemadmodum Joſephus, ſed ad Simonem Juſtum, quem interdum Jaddum, vel Iddo appellant, Rabbini revocandam contendunt; nobis verò plus aliquid deferendum videtur Joſepho, qui illos & vetuſtate ſuperat, & monumentis abundabat,

h 4. *Reg.*16. 10. *Iſai.*8. 2.
i 4. *Reg.*1.8. 18.26.37.
k *Iſai.*22.20. 21.
l *Judith* 4.5.
m Vide *Serar. in Judith* 4.9. 1. *Bellar. de Verbo Dei l.*1. *c.*12. *Tirin. & Niceph. Chron.*
n *Ita Cyrill. Alex. in Iſai. Hieron. in Iſai.* 21. 21. *Procop. & Recentiores plerique.*
o 4. *Reg.*22.4. & 2. *Par.*34. 9.
p *Baruch* 1. 7.
* 1. *Par.*6.13. *Baruch* 1.7.
q 4. *Reg.* 22. 4. & 1. *Par.* 6.13. & 19.11.
r *Agg.*1.1.12. & 2.3.5.
s *Zach.*3.1.3. 6.8.9. & 6.2.
t *Vide Torniel. ad A. M.* 3572. *Selden. de ſucceſſ. in Pontific. Natal. Alexand. tom.*2. *Hiſt. V. T.*
u *Apud Lyran. in* 2. *Eſdræ* 3. 1.
x 1. *Eſdr.*10. 6. & *Joſeph. Antiq. l.*11. *cap.*5.
y *Joſeph. Antiq. l.*11. *cap.* 7.
z *Euſeb. Chronic. & lib.*18. *Demonſt.*
a *Hieron. in Dan.*9.
b *Joſeph. Antiq. lib.*11. *cap.*8.